

DE
THEOLOGO
REFORMATORE
PERPETVO

ORATIO SYNODALIS
IN CONVENTV PASTORALI
DIE MAGNI THEOLOGI REFORMATORIS
B. MARTINI LVTHERI

ONOMASTICA

A. O. R. MDCCXLI.

ICTA

A

RVDOLPHO FRIDERICO
DE VVICHMANSHAVSEN,
PAST. LIEBENVVERD. ET EIVSD. DIOECESEOS
SVPERINTEND.

TORGAVIAE,

LITERIS IO. GOTTL. PETERSELLIANIS,

MDCCXLII.

Coll. diss. A
134, 56

a. CXXXIV. 56.

to

f

DE

THEOLOGO
REFORMATORE
PERPETVO

ORATIO SYNODALIS
IN CONVENVTV PASTORALI
DIE MAGNI THEOLOGO REFORMATORIS
B. MARTINI LUTHERI



A. O. R. M. D. C. C. X. I. I.

DICTA

A

R. V. D. O. L. P. H. O. F. R. I. D. E. R. I. C. O.
DE WICHHMANSHAVSEN,
PAST. LIEBENVVERD. ET EIVSD. DIOCESEOS
SUPERINTEND.

YORGANNAE

LITERIS IO. GOTTL. PETERSILLIANIS

MDCCLXII



VIRI PLVRIMVM REVERENDI,

AMPLISSIMI, DOCTISSIMI,

FRATRES IN CHRISTO CHARISSIMI,

Mysteriorum cœlestium disciplinæ, olim placitis humanis depravatæ, iam vero ad veterem divinamque normam, quæ est Dei gratia, reductæ, hilares recordamur. Huius operis, tam mirabiliter editi, cum auctor sit ipse Deus, ita fidelissimus eius administrator, Pater beatus, in ecclesiam Evangelicam optime meritus, Doctor Martinus Lutherus, hinc felicissimus sanctissimæ religionis merito dictus est Reformator. a)

A 2

Eccle-

a) Ille enim partim officii conscientia fretus, partim causæ bonitate nixus, partim potentia & ope Dei fultus, rem (ecclesiam emendandam) non tantum fortiter & sapienter aggressus est, sed excellenter etiam feliciterque confecit omnem, ut solus reformatoris titulo meruerit a nobis nuncupari &c. vide b. D. Ioh. Bened. Carpzov. Programma Lips. 1690. de Luthero vero Reformatore Lips. 1678. Videatur Pietas Acad. Lips. in Reformat. divi Lutheri memoriam quinquaginta dissert. exhibita, cura celeberr. Christ. Frid.

Bcer

Ecclesiae ergo faciem, quam illa Lutheri beneficio est consecuta, renovatam, ut perpetuam nobis esse iubeat summus rerum gubernator, istamque fidei pariter ac morum doctrinam nobis denuo concreditam, conservet puram atque illibatam, semper in votis habeamus necesse est, *Fratres Charissimi!* Absint itaque a nobis omnes, solennem divi Lutheri ecclesiae reformationem alto supercilio aspernantes, sacra nostra carpentes omnia, & nihil rectum, nisi quod ipsorum moribus conveniat, putantes, novam qui ecclesiae nostrae reformationem meditantur. b) Interim tamen,

Bœrneri Lips. 1717. item Nic. Hunnii Beweis, daß D. M. Lutherus von Gott zur Reformation beruffen, qui libellus cum Dresdæ 1717. recuderetur, in præfatione præmissa, Summe Vener. D. V. E. Löscherus proprie loquendo non tam Lutherum, quam potius verbum Dei ecclesiam reformasse ostendit. Conferatur C. A. Heumanni Programma de providentia reformatrice, quod est secundum in eiusdem Luthero Apocalyptico. Divinum quidem opus in Reformatione b. Lutheri agnoverunt Ven. D. E. S. Cyprianus in Præf. præmissa P. II. Tenzelii Bericht von der Reformation, & cap. 26. des Historisch, Theologischen Berichts vom andern Jubel-Fest. atque Raphaelius in einigen zum Lutherischen Jubel-Jahr und Wiederlegung einer Päpstlichen Schrift dienenden Lehren. Male igitur Emserus reformationem, odio Lutheri in sacerdotes pontificios in Bedingung auf Luthers ersten Widerspruch in 4. aut Fibigerus odio in Papam tribuit in dem in Schlesien gewaltig eingerissenen Lutherthum, Breslau 1717. in 4. P. 1. incommode vero variis causis politicis adscribunt Hermannus von der Hardt & Heumannus l. c. quibus oppone D. I. F. Buddei Disp. quæ inscribitur: divinæ providentiæ circa ecclesiae reformationem a b. M. Luthero susceptam assertio.

b) vid. b. Neumannus in Theol. Aphor. Artic. de Ecclesia Aph. XIII.

Itaque

men, nos in media ecclesia repurgata inter infinitam impiorum multitudinem versari, cum Apologia Augustanæ nostræ confessionis in Articulo quarto de Ecclesia lubenter profitentes, impios in ecclesia quotidie esse reformandos, hominesque perpetuo ad veram fidei atque morum normam emendandos, haud inficiamur. Et eiusmodi quidem reformationem usque ad mundi finem etiam in illis ecclesiis, quæ Dei verbo gaudent in corrupto, & legitimo sacramentorum usu perfruuntur, esse continuandam putamus. At longe alia hæc, ab omnibus ecclesiæ ministris merito instituenda, est reformatio, atque ea est, quæ a novatoribus, nil nisi turbas concitantibus, frustra quæritur, introducenda. c) Est enim semperque fuit, prava mor-

A 3

talium

Itaque Reformatio Ecclesiæ nostræ, quæ a plerisque hodie attentatur, præpostera est. Evolvatur porro eiusdem Aut. beati de Reformatismo Ecclesiæ nostræ intentato. Witteb. 1717. & comparetur Disput. eiusdem. VI. Anti-Chiliasistica de Papatu Ecclesiæ Orthodoxæ Witteb. 1716.

c) Sic Thomas Munzerus statim post Lutheri Reformationem & post eum Schwenkfeldius aliam adhuc & plane puriorem restare reformationem impie profitebantur. Eandem reformandæ Ecclesiæ potestatem Quakeri & alii Fanatici sibi arrogant, ut de Socinianorum aliorumque Ecclesiam reformandi, potius deformandi, pruritu taceamus. Sed pro Dei verbo fumos visionum & naturæ corruptæ venditant, ὑποτυπωσιν ὑψαινοντων λογων in meras κενοφωνίας & κεινοφωνίας transmutant, sacrosanctam doctrinam de iustificatione per solam fidem evertunt, imaginaria sua reformatione, Ecclesiam nostram Lutheranam in pessimam vel Indifferentistarum vel Enthusiastarum colluviem transformant & deformant, ut Christianus Hohburgius in Regenspurgischen Heerhold P. II. Amsterd. 1664. in 8. Brecklingius in Friderico resurgente

1683.

talium indoles ea, ut plerique tenebras luci præferant, nubem pro Iunone, carbones pro thesauro amplectantur. Hinc Theologus ὑποτυπωσιν των ὑγιαίνωντων λογων seu sanorum verborum formam atque exemplar tenens, d) huius ductum in munere sacro sequatur, ut homines, suæ curæ commissi, huic typo fingantur simillimi, & ad hanc quidem formam primigeneam, beati Lutheri ministerio, nobis restitutam, in fide & charitate quotidie magis magisque reformatur.

Quæ

1683. in 8. Christ. Eberh. Weismannus in introduet. in Memorabilia hist. eccles. P. II. p. 85. Stutgard 1719. & Ioach. Langius in Nachrichten T. 12. p. 88. f.

d) 2. Tim. I, 13. Vid. Witsii Exercit. XVI. de vita Timothei §. 5. ὑποτυπωσις των ὑγιαίνωντων λογων exemplum est bene expressum sive formula quædam ac σκιαγραφια, quam in conspectu habemus, ut eius ductum sequamur. Paulus itaque, qui Theologiam τυπον διδασχης alio loco nuncupat, nihil aliud, quam id per hanc loquendi formulam indigitare videtur: Sermones meos, o Timothee, habe ut exemplar loquendi, cogitandi & faciendi. Quod eleganti παραφρασει ex Chrysostomo illustravit Theophylactus: Ὡσπερ ζωγραφος ἐγραψα σοι καὶ ὑποτυπῶσα μὴν εἰκόνα καὶ ἀρχετυπον, ἵνα πρὸς τὸ αὐθόρῳν καὶ αὐτὸς ζωγραφῆς ταυτην τὴν ὑποτυπῶσιν των ἐμῶν λογων. τὸ αὐθόρῳν τὸ ἀρχετυπον ἔχε, καὶ τὶ δεῖ ζωγραφῆσαι, ἀπ' αὐτῆς λαμβανε καὶ ζωγραφει, παντα γὰρ ἐναποκοιντα. Pictoris instar depinxi atque expressi imaginem atque archetypum, ad quem ipse respiciens, hanc sermonum meorum formam depingere possis: hoc est: archetypum habe, ac si quid pingendum fuerit, ab illa imagine sume ac pinge, illic enim omnia reposita sunt. Sic τυπος idem est quod ὑπογραμμος, forma quædam delineata, qualem nobis a Christo in perpeffionibus esse relictam Petrus affirmat 1. Petr. II, 21. quem ut semper intuentes, ad parem virtutem excitemur.

Quæ mihi consideranti in Vestra, Venerabiles Fratres, suavissima præsentia, magnique illius Ecclesiæ nostræ Reformatoris, Martini Lutheri, die, qui hodie in fastis legitur, onomastico, a munere nostro non alienum, sed potius perquam apte eidem accommodatum visum est argumentum, quod de Theologo, Reformatore perpetuo, brevibus exponeret, quodque ut attente & benevole audiatis, a vobis peto vosque rogitō.

Non novam autem alicuius rei productionem, sed iam productæ, corruptæ tamen atque depravatæ, restorationem, vi nominis significat reformatio. Cum autem novam formam res reformata sortiri nonnunquam dicitur, non absolute & de tali forma antea non existente, sed comparate & secundum quid, prout ad vitium rei seu ipsius depravationem respicitur, id est intelligendum.

Quæ ergo Ecclesiæ contigit reformatio, nihil aliud, nisi emendatio fuit & in meliorem formam restitutio. Homo enim, sanitati restitutus, non aliam inde accipit substantiam, nec domus, restaurata & a sordibus purgata, nova plane est censenda. Ecclesiæ autem reformatio, vel est solennis, quæ per providam Numinis curam, singulari ratione hic sese exserentem, subinde ei obtigit, e) vel perpetua, quæ ministerio Ecclesiastico in emendando atque corrigendo quotidie incumbit.

Illam

e) Primæ omnium, quæ statim hominum post lapsum facta est, restorationis Ecclesiæ solennis documentum, Enoch, dein Noachi, postea Abrahami, Mosis, aliorumque temporibus, in sacris literis legimus relatam. Vid. Luth. in Comment. ad Genes. Hos excipit Iosua, sacramentum circumcisionis, fidei Abrahamiticæ sigillum,

Illam vero post ultimam, Lutheri ministerio factam, denuo anhelantes, Ecclesiam, molitionibus suis, magis conturbare quam reformare iure meritoque videntur. Hanc vero quærentes præcipuam muneris sacri partem esse expleturos arbitramur. Nobis quidem, Lutheri beati reformatione contentis, quoad doctrinam ipsam sublimius non est adscendendum. Verbum enim Dei, ut nota ecclesiæ veræ *πρωτως* seu primario dicta, pure adhuc docetur, & Sacramenta, tanquam verbi appendices *δευτερωτως* vel secundario, ut loquitur beatus Calovius, f) rite administrantur, adeoque quamvis multi hanc ecclesiæ emendationem non admiserint, neque illius formam culpa sua sequantur, novam

figillum, per quadraginta annos oblivioni datum, restituens, Ios. V, 9. Hunc sequitur Samuel, cuius ministerio totus Israël a Dan usque ad Bersabam convertebatur. 1. Sam. III, 1. 20. 29. Maximum posterioribus temporibus reformationis solennis opus incepit Iosias, pius Rex Iudæorum, qui terram ab idololatria repurgando, legis libro, qui per multos annos ab hominum memoria fuerat remotus, reperto, cultum divinum ubique restauravit. 2. Chron. XXXIV. 1. Reg. XIII. Illustre est cum primis Esdræ exemplum, qui post solutam populi Iudaici captivitatem, in eo fuit totus, ut Ecclesiam Israëliticam, a corruptelis, quæ eam mirum in modum deformaverant, denuo repurgaret. Tacemus cæterum, solennem illam & omnibus numeris absolutam, Ioh. Baptistæ & ipsius Salvatoris Ecclesiæ reformationem. Et quem fugit denique ultima, quam solennem appellare licet, Ecclesiæ reformatio, per beatum Martinum Lutherum a Deo feliciter perfecta, qua non novam quidem formam Ecclesia accepit, interim tamen solenni modo ad antiquam fidei & charitatis formam emendata fuit atque renovata? Confer b. Io. Henr. Maii Historiam Reformationis per Vet. & Novum Testamentum Francof. in 4.

f) B. Calovius in Exeges. A. C. Art. VII, §. 13.

novam tamen Ecclesiae mutationem quaerere, hoc quidem temerarium foret atque infelici conatu innovandi studium redoleret. g)

Nihilo tamen secius, cum & inter eos, qui Ecclesiae evangelicae sacra profitentur, multi in magna partim ignorantia, non leviori partim impietate versentur, & provida Numinis cura Ecclesiae ministerium, certis hominibus collatum, instituerit, ut lux praeferatur errantibus, vacillantes autem confirmantur, immorigeri castigantur, & solatio perterriti erigantur; Theologo tanquam Ecclesiae ministro pro muneris sacri ratione est datum, virtutem adnunciare eius, qui nos a tenebris ad lucem admirabilem vocavit h) homines insuper cum Deo ministerialiter reconciliare, ad imaginem, quam perdidimus, divinam, ad sanctitatem nimirum atque iustitiam magis magisque revocare, & sic perpetuum in munere suo agere reformatorem.

Tota vero eiusmodi Theologi reformatoris functio sacra, docendo, pietatem exercendo, impiosque redarguendo absolvitur.

Manet ergo summis Imperantibus tale ius reformandi proprium, ut eos severius excitent & corrigant, qui hac in re quoad externum divini Numinis cultum, quae suarum sunt partium, negligunt, quod ius reformandi maiestaticum, non simpliciter a iure territorii dependet, sed potius legum

g) Nos habemus per Dei gratiam, Confessionem & Apologiam nostram, quaeque iis consentientia docent Theologi nostri. Qui haec sequi vult, ut nos facere, Deo adiuvante, constituimus, non opus habet ulteriori reformatione. Seckendorf. in Lutheranism. p. 615.

h) I. Petr. II, 9.

legum fulcris in Germania est munitum. i) Habentur in-
super fora quædam ecclesiastica, quæ consistoria vocare so-
lemus, a summo Imperante, quippe qui omnibus, quæ quo-
tidie occurrunt, negotiis, etiam quoad sacra expediendis,
non sufficit, constituta, quibus inter alia præsertim data est
disciplinæ ecclesiasticæ cura, ut citentur, examinentur &
puniantur malitiosi; quæque in tollendis abusibus, corrigend-
is defectibus & promovendis Ecclesiæ commodis, cum In-
spectoribus cuiuslibet Diœceseos, ipsorum nutui a summo
Principe subiectis, quos Superintendentes appellare est con-
suetum, invigilare solent.

Postulat autem pariter munus ministri Ecclesiæ sa-
crum ex fine ministerii, qui est reconciliatio hominum
cum Deo, k) & incrementum in fide & sanctitate, l) æsti-
mandum, convincere errantes & redarguere male viven-
tes, quem in finem etiam ipsa sacra nobis est data scriptu-
ra. m)

Hinc Theologus perpetuum agat Reformatorem, non
ut suasionibus solum, quæ utilia sunt, promoveat, sed etiam
noxia

i) Vid. Kestner (D. Henr. Ernst) Disputat. de iure reformandi in sa-
cris. Rinthel. 1699. Comparentur tamen I. G. Reinhardi medita-
tiones de iure principum inprimis Saxoniae ante tempora refor-
mationis exercito. Halæ 1717. in 4. & Anonymi scriptum de iure
reformandi statuum imperii Romano Germanici, cuius causa con-
troversiam exortam cum Rittmeiero videre licet & in eiusdem A-
nonymi examine vindiciarum Rittmeierianarum & in Unschuld.
Nachr. 1717. p. 1105. in qua controversia ius sacra reformandi
principibus Romano-Catholicis inprimis denegatum est.

k) 2. Cor. V, 19.

l) Ephes. IV, 12.

m) 2. Tim. III, 16.

noxia quæque ad incredulitatem vel impietatem ducunt, in
dicet, & hac de causa eos adeat, in quorum positum est po-
testate, ut ea possint abrogare aut emendare.

Verum enimvero, non ad statum plane paradisiacum
aut ad formam ævi apostolici ubique conformem Ecclesia
evangelica temere est revocanda.

Talia molientibus commendandum est illud Senecæ
effatum: Nulla ætas vacavit a culpa, & si æstimare licen-
tiam cuiusque seculi incipias, pudet dicere, nunquam aper-
tius quam coram Catone esse peccatum. n)

Nostros quidem temporibus, quod proh dolor! in
aprico est, & omnes Theologi cordati dolent, tam conspi-
cua veteris Apostolicæ Ecclesiæ candoris, quam amoris erga
Deum & homines non fucati, exempla, ubique ferme desi-
derantur.

Sed talem in his terris aream haud scimus, in qua
nullæ tritico paleæ inveniantur admixtæ, vel agrum, in quo
nulla cum frumento zizania succrescant.

Valet potius Salvatoris nostri consilium: Sinite ambo
crescere usque ad messem, ne forte, malas herbas colligen-
tes, frumentum una cum eis eradicetis. Messis autem tem-
pore mandabo messoribus, ut primum malas legant her-
bas, ac in manipulos colligant comburendas, frumentum
autem in meum comportent horreum. o)

Habuit & Apostolica Ecclesia nævos suos, ideoque ho-
diernam ab omni labe non esse immunem minime dubita-
mus. p)

B 2

In-

n) Epist. Senec. 97.

o) Matth. XIII, 29. & 30.

p) Vid. b. VVernsdorf. in Disput. de Absolutismo morali, eoque

Interim tamen his temporibus, quibus fere ubique antiquus fidei & charitatis rigor laxatur, eiusque ardor, ut publica docent documenta, tepescit, in dies crescenti incredulitati, perfidiæ atque hypocrisi, obviam eatur ab iis necesse est, quibus hominum tam care redemptorum salus curæ cordique debet esse.

Quam ob rem sicut quilibet ordo in id quotidie incumbit, ut reformet, emendet & promoveat res suas, Princeps & magistratus in republica, paterfamilias in domo sua, ita non minus Theologus idem curare tenetur in Ecclesia. q)

Huius

Theologico V Vitteb. 1715. & eiusdem Disput. de cautelis circa practicum in reliq. & theol. Aph. XII. & seqq. comparetur dictum Paulinum 1. Cor. V, 9.

q) Aequum atque iustum est, quemvis Ecclesiæ ministrum pro suo modulo, sed ordine ac decenter conferre operam, ut tot mala, quæ in ecclesia grassari cum dolore conspiciamus, eiici foras possint. Vid. D. Ioh. Bened. Carpzovii Programma de Luthero Reformatore Lips. 1690. Quodsi de corruptelis Ecclesiæ differendum nobis est, aliæ omnino sunt, quæ ad vitam & mores hominum pertinent, aliæ contra, quæ ad ministerium verbi & usum Sacramentorum referuntur. Ab illis quidem nunquam Ecclesiam orthodoxam vel fuisse, vel deinceps fore immunem, sacræ literæ aperte & diserte testantur, tantumque abest, ut Ecclesiæ nostræ hoc nomine patrocinemur, ut potius cordati Ecclesiæ ministri emendare, corrigere & arguere corruptos hominum mores, præcipuam muneris sui partem esse arbitrentur. Atque hæc reformatio fere quotidiana est. V. Neumannus in Disp. de Papatu Eccles. Orthod. §. VIII. p. 15. Impius tamen fuit Odelemius, qui reformatione Lutheri sectandi studium concitatum maxime esse contendit in præf. præmissa dem Mystischen Haub der gottsel. Ehldes

Huius enim est, non imbecilles tantum atque titubantes hominum regere regressus, sed ut omnia simul decenter & ordine ad formam sanorum verborum in sacris literis traditam & b. Lutheri ministerio restitutam, r) fiant, sollicite providere.

Adeoque superstitionem, incredulitatem, impietatem, & quaecunque fidem atque charitatem impedire videntur, eliminare, actionum sacrarum confusionem evitanda, omnia ad iustam disciplinæ, in ordinationibus Ecclesiasticis præscriptæ, normam revocare, scandalum & effrænata hominum peccandi libidinem reprimere sollicite studebit.

Veritas quidem evangelica tum in libris nostris Symbolicis, tum in Lutheri & multorum aliorum sanorum Doctorum scriptis, luculenter exposita prostat; Cum vero

B 3

multi

zu Corinthe 1719. in 4. Quo peior est Christ. Democritus im Anfang, Mittel und Ende der Orthodoxie und Heterodoxie.

r) Legantur hæc uberius exposita in D. Adami Rechenbergii program. de iusta Lutheri reformatione. Lips. 1705. Es ist billig daß Lehrer und Prediger an der Reformation ihrer Gemeinden durch Lehren, Straffen, Warnen, Ermahnen und Wiederlegen nichts ermangeln lassen; demnach wundern muß, daß seine Galater sich so bald hatten abwenden lassen von dem der sie berufen, in der Gnade Christi, auf ein ander Evangelium. Galat. I, 6. und befiehet Tito vollends anzurichten, da ers gelassen. Tit. I, 5. Ja Christus selbst, nach dem er doch drey mahl den Tempel zu Jerusalem mit sonderbahrer Sorgfalt und Eifer reformiret, hat doch seinen Jüngern und Aposteln noch genug darinnen und sonst zu fegen und zu säubern hinterlassen müssen. M. Gottfr. Balduni Sonn- und Festtägliches Zeiten Gewinn. Dom. 10. p. Trinit. Quæst. Ob keine Kirche so rein und vollkommen, die nicht einer Reformation bedürfftig sey?

multi male docti eandem explicatam vel non intelligant, vel malitiose in perversos detorqueant sensus, imo non pauci ab illius tramite impie recedere minime erubescant, perpetua errorum atque vitiorum opus est emendatione, quam leges Ordinationum & Visitationum Ecclesiasticarum a ministris Ecclesiæ publice requirunt.

Quod si denique Ecclesia nostra in sensu latiori sumpta, quatenus quoad societatem externam improbos & hypocritas iuxta octavum Augustanæ nostræ invariatae Confessionis Articulum complectitur, nulla amplius indigeat reformatione: pœnitentia quoque ac renovatione vitæ quotidianæ haut erit opus, eiusque exercitium, quotidie ab animarum curatoribus, frustra inculcabitur. Sed quantum ad eiusmodi Theologi reformatoris imaginem pertineat, inter *Vos omnes, Fratres charissimi*, constabit.

Tremendum sane onus nostris humeris impositum videmus, animarum curam, emendationem & ad sanorum verborum typum formationem, in hac vita imperfecta, perpetuam suscipere, uniuscuiusque insuper nostræ curæ subiecti virtutes nosse atque vitia, postea moderari, malis mederi, bonorum quærere profectum, doctrinam tandem atque disciplinam temperare, ita ut neque severitate, neque indulgentia nimia, animas perdamus, sed cunctos molestissimi muneris numeros debite impleamus, omnem operam navare.

Loquimur ergo hic de Theologo, non qui qualemcunque eamque superficialiam rerum sacrarum fovet notitiam, & magis ad vitæ sustentationem, quam salutem animarum, quærendam, munus sacrum suscepit, quo sæpius neque debita sapientia & prudentia, neque pietate necessaria atque

atque iusto zelo fungitur; sed qui gaudeat tam solida atque accurata fidei christianæ notitia, ut non solum possit, verum etiam velit Theologi reformatoris suimet ipsius & gregis commissi perpetui, officio rite perfungi, qui non satis habeat, fidem sibi comparasse subiectivam, sed qui circa alios quoque ministerialiter salvandos, per omnes dies, quantum valet, sit occupatus.

Quo itaque Theologus animas corrigendas ab interitu revocare & ad fidem æque ac pietatem reformare queat feliciter, ad omne opus bonum, præsertim ab Ecclesiæ ministro a Paulo requisitum, instructus s) inveniat.

Hinc in sacris literis potens, de Deo rebusque divinis recte sentiat, libros Ecclesiæ nostræ symbolicos teneat, veritatem cœlestem ut custodire & ab adversariis defendere sciat. Porro sit aptus ad docendum, ut sanam doctrinam dextre, convenienter, solide, ordinate, atque perspicue explicare, aliisque, verbum Dei rite secando, possit communicare. (*)

Pieta-

s) 2. Tim. III, 17. Ideo gentium doctor Paulus omnem scripturam θεοπνευστον utilem esse dixit ad doctrinam, ad reprehensionem, ad correctionem, ad iustitiæ disciplinam, ut ανδρωπος θεος homo Dei, Deo speciali quadam ratione consecratus, αρτιος sit, aptus προς παν εργον αγαθον, ad omne opus bonum comparatus, ubi quin per αγαθον εργον ea opera intelligat, quæ speciatim ab ecclesiæ ministris requiruntur, non videtur dubitandum, etsi nequam excludenda sint, quæ Ecclesiæ ministris cum quibusvis Christianis sunt communia. Buddæus in Instit. Theol. Dogm. Libr. I. c. II. de revel. & Scriptura sacra §. 38.

(*) Hæc ministri Ecclesiæ fidei peritia, e legitimo scripturarum & con-

Pietate non minus se commendet haut fucata & vitam confessioni conformem, munere dignam, agat, non quasi verbi divini ab illa dependeat efficacia, sed partim, ne, alios ministerialiter salvans, ipse pereat & culpa alios corrigentem ipsum doctorem redarguat, partim, ne salutarem verbi divini fructum intercipiat, infirmos offendat, securos obduret, paucis, ne, quantum doctrina forsan proficit & emendet, tantum noceat exemplo.

Præterea maneat animo, in formandis & reformandis animabus, forti atque intrepido, cum omnis periculi ab hominibus metuendi vel commodi accipiendi contemptu, ut nullo, qua rem ipsam, personarum habito respectu, religionis causam serio agens, Dei solius gloriam, Ecclesiæque quærat emolumentum.

Tandem se ubique sistat in hoc negotio prudentem. Respiciat homines emendandos & ad deperditam Dei imaginem magis magisque reformandos.

Aliter salvatoris ipsius exemplo errantes, aliter hypocritas & pertinaces sciat tractare: Aliter versetur, ad monitum Pauli Apostoli, in reprehendendo sene, aliter iuvene.

In quibusdam corrigendis, uti Nathan Davidem reprehendebat, singulari velut artificio utatur, alios præfractæ frontis peccatores, sæpius iam admonitos, legis fulmine, minime tamen iracundiæ affectui indulgens, sed iusto

conscientiæ sanctificatæ usu quotidiano impetrata, est unctio omnia docens 1. Ioh. II, 27. dicenda, quæ tamen linguarum & disciplinarum adminicula non excludit, quarum illæ apertam, hæ distinctam, eruendi & docendi rationem suppeditant.

iusto zelo, omni animi modestia temperato, aggredia-
tur. t)

Prudenter denique habeat simul rationem tempo-
rum, ita, ut, quamvis sanam doctrinam *εὐκαιρῶς καὶ ἀκαιρῶς*,
seu eo tempore, quo toleratur & non toleratur, tractet at-
que inculcet, neque tempus, quo fervens seriaeque corre-
ctio errantibus magis placeat, expectet, prudenter tamen
ad suum finem rite consequendum agat, bene gerendæ
rei occasionem non quidem dimittat, commodius vero
aliquando expectet tempus ita, ut, quæ non in tempore
dicta aut acta esse videantur, tantisper iure seponat.

Cito enim naufragium facit, qui obluetur ventis &
pelago, ac, qui nihil plane tempori concedit, perpetuum
quasi

t) Monstra mihi hominem, qui sui neque contemptor neque ad-
mirator sit, qui divinæ munificentiae dona procul invidia æquo
pretio in aliis aestimat, qui affectus in ordinem cogere & animum,
linguam & stylum moderari didicit, qui res quasque suis pruden-
ter momentis librat, easque ita prosequitur, uti singularum ge-
nio convenit, qui neque rigidus, neque mollis est, sed tractabi-
lis; sine pusillanimitate lenis, sine lentitudine patiens, sine tetrici-
tate gravis, sine iactantia fortis, sine contumacia constans, ta-
lem inquam mihi monstrato hominem, & ego eum vere mode-
stum virum appellabo. Witfius in Orat. Inaugur. Leidens. 1698.
de Theologo modesto. Comparetur Hoffmanni (Gustavi Chri-
stophori) oratio inaugural. de ea, quæ Theologum apprime de-
cer, animi moderatione, Kiliae 1730. Vid. porro Summe Vener.
Mosheim in disp. de theologo non contentioso. Idem de præ-
cipuis doctoris Evangelici virtutibus, mansuetudine & leni-
tate.

C

quasi bellum cum tempore gerens, finem sibi propositum magis evertet, quam ad votum obtinebit. u)

Officii ergo nostri parte haud postrema fungemur, *Venerabiles Fratres*, cum sic Theologi reformatoris ideam brevibus iam delineatam, per quotidianas, de ecclesiae commodis, curas debite sequamur.

Semper enim & a nobis ad unum omnibus, animarum, quos Deus constituit, curatoribus, ut omni qua par est dexteritate, fide atque exemplo, redemptos, nostrae curae commissos, ad imaginem in sanctitate & iustitia divinam, magis magisque reformemus, est allaborandum.

Apostoli itaque monitum, Ecclesiae ministros iubens adhortari in sana doctrina, & arguere contradicentes, x) nulla unquam oblivione simus oblitteraturi.

Perniciem ex incredulitate ac impietate propullulantem,

-
- u) Vid. b. VVernsdorffii Disputat. elegant. de fervore, tepore, & frigore Theologico. Et legatur, quae summe vener. D. Ernst Valent. Læscher disserit; in historia von den Religions mot. in Vorbericht p. 24. quatuor ibidem in exercendo zelo gradus statuens. Evolv. porro Quensted, in Ethica pastorali p. m. 358. Semper in Theologo coniungenda est fidelitas prudentiae; ut non debite solum ac studio indefesso omnia curet & promptus sit, sed apte quoque sciat cuivis in tempore alimentum dare; docente Salvatore Matth. XXIV, 45. conf. 2. Tim. II, 2.
- x) Tit. I, 9. Videatur dissert. epistol. ad hunc locum, exhibens theologum Αντεχομενον τὴ κατὰ τὴν διδασχὴν πιστὸν λόγον &c. Aut. M. Ioh. Christoph. Fritsch, Lips. 1734. Verbum παρακαλεῖν adhortari, stricte equidem significat rogare, precari, hortari; sed latius accipiendum esse puto ita, ut facultatem docendi, monendi & consolandi simul connotet. Illud pertinet ad officium didascalicum, istud ad paedeuticum & epanorthoticum, hoc vero ad paracleticum.

lantem, ferio indicemus, dubitantes autem & titubantes cum omni lenitate atque animi mansuetudine, Theologum inprimis ornante, in veram viam reducamus.

Nos esse Dei ministros cogitemus. Inde nihil, quod munere nostro sacro sit indignum, faciamus, sed, ut gregibus nostris, ad typum sacrum reformandis, fidei, pietatis atque temperantiæ exemplo præluceamus, nitamur.

A novis denique, qui ecclesiam repurgatam molimibus suis deformant, reformatibus abhorrentes, meliorem eamque perfectam Ecclesiæ formam in cælis expectemus, ubi gloriosa nullisque amplius vel maculis aspersa, vel rugis deformata y) comparebit.

Spem vero concipimus certissimam, fore, ut Deus nobis in munere nostro sacro, rite ac feliciter obeundo, gratiæ atque potentiæ suæ præsidio nunquam sit defuturus.

Is Regem & Electorem nostrum potentissimum, Patriæ Patrem clementissimum, Augustissimamque eius Coniugem ac Regiam Domum, in forma qua splendent maiestatica, servet atque tueatur in perpetuum, ut omnia, quæ ad felicissimam regiminis paterni formam pertinere videntur, divina adiuvante gratia, exequantur, donec tandem summus rerum moderator, qui nos ad imaginem formavit suam, nostra omnium corpora, ut eandem cum eius glorioso corpore accipiant formam, transformabit.

y) Ephes. V, 27.

19
100 (0) 100
sunt, sed indicantur, dicitur autem & in
cum omni latere aqua superius manentibus, Theologia
universis, in vana vana reduntur.

Deus esse dei minister cognoscitur. Inde nihil, quod
tunc non obfector de indistincto, factum sed in
bus nostris, ad ipsum factum referendus, hinc, prout
aque temperantur, exanilo extrahuntur, nuncur.

A nova scriptura, cui ecclesiam repugnans melior
ribus suis delinquit, in operibus abhorrentes, melio
tem tantum, per se, in ecclesia, in ecclesia
tas, ubi gloria nullius simplici vel nascitur, ut
vel tunc (deus) comparabitur, tunc in

200 (0) 200
Sicut vero conditio certissima, hinc, ut Deus
nobis in quibus, in ecclesia, in ecclesia, in ecclesia
gratia, aqua potest, in ecclesia, in ecclesia, in ecclesia.

In hinc, ut ecclesia, in ecclesia, in ecclesia, in ecclesia
Tunc, in ecclesia, in ecclesia, in ecclesia, in ecclesia
Regia, in ecclesia, in ecclesia, in ecclesia, in ecclesia
que tunc, in ecclesia, in ecclesia, in ecclesia, in ecclesia
regimini, in ecclesia, in ecclesia, in ecclesia, in ecclesia
invocare, in ecclesia, in ecclesia, in ecclesia, in ecclesia
indiget, qui nos, ad imperium, in ecclesia, in ecclesia
omnia, in ecclesia, in ecclesia, in ecclesia, in ecclesia
corpore, in ecclesia, in ecclesia, in ecclesia, in ecclesia
formabit.

100 (0) 100
Bibel V. 27.

Coll. diss. A. 134, misc. 56.